Ex Iris Johan. Ehrenig.

Mariæburgi 8/18 Julij Anno 1654.

Inter Serenissimum Electorem et Regem Poloniæ offensiones esse, literæ, quarum copiam adiuncta, ostendunt. Causam ignoro, indagabo tamen ulterius. Nimirum victoria Moscowitica nationem suâ naturâ superbam insolentiorem reddidit: videntur aliquid monstri alere, et causas belli renovandi quærere, fortassis suo malo et in perniciem suam.

Copia literarum Sacræ Regiæ Maiestatis ad Electorem Imperij Marchionem Brandeburgicum.

Nimis arctâ iuris et factorum quæ nobis cum Serenitate Vestra intercedunt interpretatione nos et subditos nostros Serenitas Vestra circumscribere videtur, his literis, quas ad nos die 10. Martij dedit. Nihil sanè nobis conscij sumus nos extrà ea foedera, quæ cum hoste icta habemus, commisisse, belli rationes et occasiones ijs relinquimus qui ea gerunt. quique eventus et momenta rerum etiam invitis ijs in quorum territorijs res geritur, per occasiones captant: Existimamusque tandem Vestram nobis et Reipublicæ Polonæ multis nominibus devinctam, non tàm acerbè nobiscum per literas agere debuisse, Regio animo ista ferimus, nec vetera nec nova vulnera refricamus: quicquid id est, de quo Serenitas Vestra mutuarum necessitudinum et eorum, quibus Respublica Polona Serenissimam domum Brandeburgicam obstrinxit, beneficiorum memorem se præstabit, pari benevolentia et obsequiorum testificatione nobis et regno Poloniæ repensuram non dubitamus.

FR. TIDÖ-SAML.

9.